



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. VIII. Excerpendum esse testimonio, & exemplo hic disserentis Eulogii,
aliorúmque complurium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

tice, Compluti, Conimbrica demum calamo manum addixit, scriptiōni se totum mancipavit, & illustrandæ Philosophiæ ac Theologiæ tomos minimum viginti & unum (quos ego quidem viderim) typis commisit. Hunc librorum numerum edidisse, & prius nihil annotasse, nihil excerptisse nemini sit credibile.

Cornelius à Lapide Scripturam sacram pæne totam uberioribus commentariis illustravit. Illic illis forulis septem grandes tomos cernis: in dies expectamus plures. Jam Pentateuchum Moysi, Proverbia Salomonis, Ecclesiasticum, 4. Majores Prophetas, 12. Minores, Acta Apostolorum, Epistolas D. Pauli, Epistolas Canonicas, Apocalypsin explicavit uberrimè ad omnem usum. Plura, ut audio, sequentur, ut etiam à mortuo dicant vivi. Jacobus Gretserus suo unus ipse calamo pæne integram bibliothecam conscripsit.

FAVST. Ego nec tot libros, sed nec tot paginas typis cogito committere, quid ergo mihi cum Excerptis? EVLOG. Num idem sapius rogandus es? Quæro te, Faustine, ne designatum ordinem præproptere turbemus. Erit locus, quo satisfaciat tuis objectionibus. Hoc jam contendimus, Excerptum esse. Quomodo sit Excerptum, & à quibus, id hujus quæstionis non est; ad istud infra respondebimus: auditor,

Si modò culture patientem commodet aurem.

Præproptere tuum est ingenium. FAVST. Perge, quo cepisti, pede; perge bonis avibus. EVLOG. Hoc igitur ajo, quod in fronte capitis hujus asserui, pæne omnium eruditorum, vocibus & exemplis, Excerpta & Notas commendari: imò hoc genus indultæ tam esse necessarium, ut eo neglecto vix ullus sit ad eruditionem solidam accessus. Quò autem plus eruditionis queritur, hoc Excerptorum, & Notarum studium contentius exigitur. Si priscum ævum hac arcessimus, ii plerumque plurimum scriperunt, qui plurimum legerunt & excerpterunt.

Zoroastres Persa vices centena millia versuum, de Magiâ Blium edidit.

Theophrastus trecenta volumina reliquit, quorum catalogum recitat Laërtius.

Chryssippus volumina septingenta, & plura scripsit, è quibus trecenta undecim Dialecticæ artem exponunt.

Aristarchus Grammaticus Alexandrinus sub Ptolemao Philometore supra mille commentarios posteris consignavit.

Chrysanthus Sardinus, Juliano Cæsari familiaris, octogenario major tantum librorum numerum suam manu exaravit, quantum vix alii juventâ vegeti ac florescentes legunt. Quo factum est, ut extremi digitorum articuli, ob jure scribendi exercitium incurvescerent intorti.

Didymus Grammaticus, quod Seneca testatur, quatuor millia librorum scripsit.

M. Varro libros composuit pæne infinitos eruditione mirâ refertos. Ideo Augustinus hunc apud Latinos, Origenem & Didymum apud Græcos plus ceteris scripsisse commemorat. Tam multa verò legit, ut ei vacasse quidquam scribere miremur, tam multa scripsit, quàm ullum potuisse legere credamus.

De Eusebio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo Hieronymus hoc testimonium tulit: Eusebius in Scripturis divinis studiosissimus, & bibliothecæ divinæ cum Pamphilo Martyre diligentissimus perinvestigator edidit infinita volumina. b

Jamblicus affirmat Mercurium Trismegistum, non solum philosophiæ, sed omnium pæne scientiarum in Egypto auctorem, de universâ Egyptiorum sapientiâ scripsisse triginta sex millia librorum, quingentes viginti quinque. Si vera fides Jamblico, aut Angelus fuerit Trismegistus, aut magnum hominis prodigium. Tot libellos evolvere maximi laboris sit, tot libros scribere operis immensi. c

Tom. II.

Hi omnes alique complures tot librorum velut copiosissimæ sobolis parentes, non tantum indefessi scriptores, & assidui lectores, sed & studiosissimi Excerptores, quod verosimillimum fuerunt. Quod si voce priscâ clametur: *Numeri senatum*, licebit pronuntiare: *Ommes, omnes in hanc eam sententiam, Excerptum esse.*

Nos, Faustine, ad facultatis nostræ modulum tot optimos viæ ductus sequamur. Excerptis & Notis, in omni litteraturâ, quàm plurimum juvabimur. Ad eruditionem variam per hos velut cuniculos tuti gradiemur. Excerpta & Notæ annorum plurium labores fidelissimè custodient; & ubicumque defecerit memoria, his subsidiis fulciemur. Quidquid agas, Excerptum & Notandum est.

CAPUT VIII.

Excerptum esse testimonio & exemplo hic differentis Eulogi, aliorumque complurium.

SI me in testem cum prioribus admittas, quod haec stenus velut per satyram exquisitis sententiis docui, ego jam testimonium exploratissimis firmabo.

In primis id probè scire te velim, hic nihil à me doceri aut suaderi, quod prior ipse non fecerim. Horatium illud noveram: Flendum ei prius, qui flete velit alios. Ita te meo etiam exemplo ad Excerpta faciendam humanissimè invito. Non penitebit operæ; securis polliceor. Mea ego Excerpta nullo pretio vendiderim. Iocrates orationem unicam talentis viginti, seu, duodecim millibus philippeorum vendidit. Da alterum tantum, nil Excerptorum vendo. Da auri & gemmarum, quantum vel varissimum optare potest, da vel montes auros, ego meas tibi chartas non vendo. Auge pretium, & nescio quos favores adde, non vendo. Summos honores, orbis imperium sponde, non vendo, Cælum pollicere, Christum licitorem appone: Jam vendo. Huic mea omnia sacravi: hunc admitto emptorem; ceteris omnibus exclusissimis.

Sed quæris, quid inde commodi vel utilitatis hauriam? Optimâ fide, quod res est, farebor. Fructus Excerptorum quotidianus & multiplex. Miramus eum in digitos, & numeremus.

I. Est, quocumquè themate proposito, nominare posse auctores, qui de eo scriperint. Res hæc summæ utilitatis, & quotidiani usus est. Fuit ut Rhetoricæ studiosis compluribus potestatem facerem ponendi qualemcumque vellent thema, vel rem quamcumque aliam nominandi, quæ in dissertationem venire possit, mox à themate scripsissent. Diversissima hic quærita: Quis de

typographiis, quis de campanis, quis de horologiis, quis de alchimiâ, quis de bombardis & tormentis bellicis, quis de venatu, aucupio, piscatu, quis de sideribus, de gemmis, de fontibus, de silvis, hortis, arboribus, scripsisset. Quærebant alii, quinam de stivis, pyramidibus, ædificiis, thermis, palæstris, armamentariis: quis de veterum triumphis, ludis, nuptiis, funeribus, exequiis, quis de horis, clepsydris, coronis, navigiis, bibliothecis, quis de purpurâ, mercaturâ, de musicâ, picturâ; de re vestitiâ, nummariâ, cibariâ, quis de animantibus, equis, canibus, elephantis ageret. Alii quærebant longè rariora, & minimè in vulgus nota, quis de ductili vitro, de incombusibili oleo, de lino vivo, de ære Corinthio, de papyro & bysso scripsisset. Malebant alii de virtutibus, aut vitis sciscitari, quosdam laudatores, aut vituperatores habuissent. Ita quærebat, quis de virtute illâ vix notis nominis indifferentiâ, quis de sui Contemptu, de sui diffidentiâ, de Longanimitate, de Familiaritate cum Deo, quis de vitio humanæ gentis Curiositate, de Cho-

R E R

reis,

Lex Satyra uno rogatu multa simul complectebatur. Horat. de Arte poet. mihi p. 161. Plin. lib. 71 Natur. hist. c. 50. initio.

Excerptorum quinplex fructus: 1. Est, quocumquè themate proposito, nominare posse auctores, qui de eo scriperint.

Compluti, Conimbrica demum calamo manum addixit, scriptiōni se totum mancipavit, & illustrandæ Philosophiæ ac Theologiæ tomos minimum viginti & unum (quos ego quidem viderim) typis commisit. Hunc librorum numerum edidisse, & prius nihil annotasse, nihil excerptisse nemini sit credibile.

reis, de noxiō pudore, de malā tristitiā, de munerum corruptelis, de prohibitis spectaculis, de damnosā profractione, de noxarum iteratione scriptis dissereret.

Hic autem ē verō dicere, ad omnes positas quæstiones, & alias tales innumerās ē Notis & Excerptis meis facili ac promptē responderi, & ad singulos titulos seu themata, non unum duraxat, sed plures nominari posse auctores, qui rem illam quamcumque propositam, scripto explicarent. Notatē autem & excerpte puer cœpi; ante annos verō quadraginta has Notas & Excerpta in formam meliorem certāque classes redegi, quas etiam nunc retineo, eas parte alterā explicaturus.

Et Societate Jesu Patres novi quā plurimos, qui hanc Excerpti solertiam non laudant solum, sed jam pridem usupant. Singulorum chartas non inspexi, an hac ipsā methodo, quam traditurus sum, sibi lectionem faciant fructuosam. Nec istud mihi hoc loco inquirendum. Jam enim hoc unum ago: Excerptum. De modo videbimus.

Est igitur maximū usus, summæque utilitatis, re quamcumque in disceptationem aut familiare colloquium adductā, nominare posse saltem ē chartā, quis scriptor ejus rei faciat mentionem. Hoc olim illustris Theologus tantū asseruit, ut totam hanc lemmatum seriem, quæ rerum omnium auctores complectitur, permitterem suo bono describi, valde rogaverit, nec cessisset, nisi audisset suas cuique familiares notas parum aliis profuturas, cum character lectu non nihil difficilis, contractior etiam ac compendiaris sit modus; cum insuper auctorum plurimi, eos, à quibus lecti non sint, parum adjuturi sint.

Prima igitur utilitas, primusque fructus Excerptorum est, quocumque themate proposito, auctores, qui de eo scripserint, compendio recitari posse.

Ctesiphon Rhetorem eum non confesit esse, qui non posset die integro de quavis re propositā disserere. Ego illum non diu, nec multum excerptisse judico, qui non de quolibet themate in medium allato, saltem horā integrā, si non plūribus, ē Notis & Excerptis suis perorare queat.

II. Excerptorum fructus est, plurima supellex ad dicendum ē cathedrā. Ajunt Concionatorem, qui annis pluribus eodem loco pro suggestu dicat, non posse non exhauriri. Si sermo sit de Concionatore, qui tantum legat, nihil autem excerptat, aut primum excerpti modum nesciat, assentimur non agrē, si homo sit industrius, & Excerptorum gnarus, nec centum quidem annis exhaurietur. Sic a se, atque si opus teste, agam experientia. Ecquid dicitis, o boni, Ecclesiaste materiam & rem ad dicendum deserit? Injuriam facitis divinæ pagine. Si enim vel sola tantum sacra volumina Ecclesiastes assidue legat, & in suas paginas excerptat, ad dicendi fundum nunquam peringerit. Adde sacrorum codicum tot interpretes, & totā meliorū commentarios, qui novam identidem messem exhibent, sed falci ad secundum expedire. Evolve legum divinarum tot Scholiastas, & nunquam deerit, quod ē publico doceas. Quis unquam Concionatorum sacra Biblia à capite ad calcem deduxit explicando? Divini libri nullis concionibus exhauriri queunt. Ad damus jam divinis litteris ceterorum scriptorum multitudinem immensam, quis dicendi sterilitatem excusare poterit, si modo se lectorem assiduū, & notatorem gnarum præstare velit? Prius profecto vitam, quā dicendi materiam absolvere. Ego reverā sic sentio.

III. Excerptorum fructus est, posse pluribus, præsertim interrogantibus, & instrui volentibus prodesse. Cum Excerpti laborem multi fugiant, in plurimis, cum aqua hæret, interrogare illos coguntur, quos talium Promos Condos scierint. Subinde rem lectam, vel auditam meminimus, sed locum, tempus, & ceteras attri-

butiones rei jam pridem excussit oblivio; hic profusū necessarium ex aliis querere, quo loco, quo tempore, quā fide hoc gestum? Ad ejusmodi quæstiones omnium opportunissimè responderit studiosus Excerptorum cultor, qui aut promptus ē memoriā, aut certus ē chartā satisfaciens ad quæsitā. Non facili fallent consulti crebrō indices.

IV. Posse in multum tempus partis vivere, sine novi lucri accessione. Explico. Est qui morbo, vel causā fonticā, vel negotiis impeditus, sibi ac litteris vacare non possit, multo tempore. Quid hic agat? Scrutanda nihilominus est oratio, paranda concio, accuratius aliquid scribendum; non vacat legere, novum apparatus corrogare non sinit tempus, forsitan nec libri, quos vellet suppetant: Notas igitur & Excerpta proferat, de suo vivat, arriolum domesticum aperiat, utatar reconditis. O miserum, si nec olim voluit recondere, neque jam sinitur mendicare. Inter sacrum & saxum deprehensus, aut præsentem fateatur inscriam, ut præteritam accuset inertiam. Pulchrum est, imò quandoque necessarium est, suo sumptu ac fisco posse vivere; & latari partis. Miserum est, alienas semper quadras lambere. Hoc fatum illos sequitur, quos Excerpti tædium, facit inopos, is periculosus qui quando prædicandum est, à vacuo canistro ad pistoris misericordiam accurrunt, & opes alienas implorant, qui suis poterant gaudere. In æstate igitur vive memōr hiemis, cum formicā melioribus annis collige, quod deterioribus consumas. Incredibilem utilitatis fructum præbet, maturē in quætere, notare ac excerpte, ut cum necessitas urget, suo liceat victitare peculio, & re partā fui. Exporio id ego in dies, quod in conspectu Domini testor, ad omne studiorum genus vix, quidquam magis conducere, quā pluribus annis Excerpti solertiam perpetuasse. Hinc dives senectus & contenta suo. Ego jam, Pauline, oculis meis me vivente præmortuus, vix pauca, nec sine magnā difficultate queo legere; nox utramque lumen occupavit. Jam nimis serum esset parandis concionibus sermonarios, aut homiliarios, quos vocant, scriptoresve alios evolere: nec tempus, nec oculi permittunt. Notis igitur & Excerptis fruor complures jam annos: Eam autem triginta plurium annorum Excerpta (quod præficiam dixerim) dicendi ac scribendi supellectilem suppeditant, ut vita quantumvis longa his se præsidii solari possit, ad Excerptorum fundum nunquam perventura. Adde igitur, & affirmatē, ut testis pronuntio.

V. Excerptorum fructus est, ingens ad omne dicendi ac scriptiois genus subsidium. Candidissimè dico: Da mihi centum annos, & acrioris oculos, & ego in annum quemlibet duos minimum libros polliceor materiæ diversæ, quam liberaliter, sat scio, subministrabunt Excerpta. Nec enim arbitror, difficile illi erit ædificium educere, qui delectā jam arē, calcem, asseres, arenam, ligna & lateres convexerit. Edificandi materies collecta est, hanc solum digerat, & adificet. Hæc Notarum commoditas, hoc lucrum est: materiam struendi convolvunt, accede & construe; Excerpta dicendi ac scribendi copiam subministrant; adde manum, linguam, calamus, & dictionem aut scriptiois ordire. Hic unicus sanè ac optimus in ædificio litterario promovendo modus est. Cum Excerpta, ut Gellius loquitur, ejus generis seminisque sint, ex quo facile adolescant aut ingenia hominum vegetiora, aut memoria adimiculator, aut oratio sollertior, aut sermo incorruptior, aut delicatior sit notio. Varius & amplius Excerptorum usus est. Dixi quæ à me pro testimonio volebas dici. Nunc ire potè pergamus.

à. Est plurima supellex ad dicendum ē cathedrā.

3. Posse pluribus, præsertim interrogantibus, & instrui volentibus prodesse.

4. Posse in multum tempus partis vivere, sine novi lucri accessione.

5. Ingens ad omne dicendi ac scriptiois genus subsidium.

Gell. lib. 1. c. 2. Ac. cap. ult.